



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 51. Vtrum Deus in ijs, in quibus non proceditur in infinitum, semper faciat optimum formaliter, hoc est id, quod est melius, & conuenientius ad perfectionum vniuersi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

quamdam apparentiam. Similiter quia videtur inuidia quædam repugnans summæ bonitati, ut Deus si potest benefacere, non benefaciat, Augustinus dicit, fore inuidiam, si Deus non benefaceret, & Clemens Alexandrinus dicit fore inuidiam, & contra summam bonitatem, si Deus aliquando à benefaciendo cessaret. Addo, quod si Deus non benefaceret ex defectu perfectæ inclinationis ad benefaciendum, esset invidus, ac non esset summè bonus, ac proinde non esset Deus; & in hoc sensu loquuntur Augustinus, & Clemens Alexandrinus.

QVÆSTIO LI.

Virum Deus in ijs, in quibus non proceditur in infinitum, semper faciat optimum formaliter, hoc est id, quod est melius, & convenientius ad perfectionem Vniuersi?

1. **V**idetur, quod non, primò, quia Mundus esset formaliter perfectior, si in eo essent infinitæ, immò omnes species possibiles entium, præsertim substantialium, & intellectualium, putà Angelorum; sed Deus creauit species solum finitas; ergo &c.

2. Secundo Mundus esset perfectior, si aliqui beati, saltem anima Christi videret Deum visione infinitè intensâ; nam sic Deus infinitè glorificaretur; sed non dedit Christo visionem infinitè, sed solum finitè intensam; ergo &c.

3. Tertiò melius fuisset ad perfectionem vniuersi, ut mundus crearetur ab æterno, quam in tempore; sed creatus fuit non ab æterno, sed in tempore; ergo &c.

4. Quartò melius fuisset, ut tres Personæ diuinæ assumerent tres naturas intellectuales, quam ut vna Persona assumeret vnâ tantum naturam humanam; sed illud non est factum; ergo. Si verò dicatur, quod debuit vna tantum natura assumi, ut vna tantum natura creata haberet rationem capitis intrinseci vniuersi, ne mundus haberet duo capita, & sic esset monstrosus: contra est, quia saltem melius fuisset, ut vna natura assumeretur à tribus Personis diuinis, quam ab vna tantum, & assumeretur potius natura Angelica, quam humana.

5. Quintò melius fuisset, ut omnes homines, & Angeli prædestinarentur, & saluarentur, vel saltem fuisset melius, ut tum ex hominibus, tum ex Angelis plures prædestinarentur, quam reprobandentur, & damnarentur; sed de facto ex hominibus multo plures sunt reprobi, quam prædestinati; ergo &c.

6. Sextò melius fuisset ad perfectionem vniuersi, ut Deus nulla peccata permisisset, vel saltem permisisset pauciora, quam de facto permisit; ergo &c.

7. Respondeo, posito, quod Deus, ut di-

ctum est quæstione 30. proximè præcedenti, neque metaphysicè, neque physicè necessitetur ad faciendum optimum, quæritur, vtrum de facto ex sua libera voluntate semper faciat optimum, & id, quod est magis conueniens, an potius aliquando, omisso meliori, faciat minus bonum, minisque conueniens? Quæritur rursus, an Deus necessitate aliqua morali, & coniungibili cum libertate necessitetur ad semper faciendum optimum, ac magis conueniens? Primum punctum examinabimus hac, & sequenti quæstione; secundum quæstione ab hac tertia.

8. Prima sententia Ruiz de voluntate Dei disput. 9. sect. 3. & sequentibus, Iacobi de Granada in 1. partem, Tractatu secundo de voluntate Dei, disp. 3. & aliorum, docet Deum in ijs generibus rerum, in quibus datur optimum, ac non proceditur in infinitum in melioribus, & melioribus, semper velle, & facere illud bonum, quod in ordine ad vniuersitatem rerum est simpliciter optimum, & quadam necessitate morali, & coniungibili cum libertate necessitari ad eligendum optimum.

9. Secunda sententia communior, quam sequitur Cardinalis de Lugo disput. 2. de Incarnat. sect. 1. num. 2. docet, Deum neque moraliter necessitari ad faciendum optimum.

10. Dicendum Deum fecisse mundum, formaliter optimum, licet materialiter non sit optimus, sed potuisset esse materialiter melior, ac semper facere optimum in ordine ad perfectionem formalem, non autem materialem mundi.

11. Probatur primò, & explicatur. Ad perfectionem enim formalem vniuersi spectat, ut in eo dentur actus, vel potentia, in virtute nimirum causarum secundarum, omnes ordines, omnia genera, & omnes species rerum, cum suis proprietatibus, & accidentibus, donec perueniant ad ea, in quibus proceditur in infinitum, absque exigentia sistendi in hoc potius, quam in illo, & ut hæc ordinentur optima proportionem secundum numerum, & quantitatem tum extensiuam, quæ dicitur mensura, tum intensiuam, quæ dicitur pondus, & est ipsa perfectio rerum: ad perfectionem autem materialem vniuersi spectat, ut cum peruentum fuerit ad ea, in quibus proceditur in infinitum, absque exigentia sistendi in hoc potius, quam illo, adhuc procedatur vterius; sed Deus de facto creauit vniuersum, in eoque posuit omnes ordines, & gradus rerum, nimirum ordinem naturæ, ordinem gratiæ, ordinem vniuersi hypostaticæ, elementa, quæ sunt in gradu infimo, mixta inanimata, plantas, animalia irrationalia, homines, Angelos, ac plures species corporum inferiorum, animalium, plantarum &c. posuit etiam omnes species Angelorum, quas vniuersitas exigit cum suis accidentibus, & proprietatibus; atque hæc omnia optimè disposuit in numero, magnitudine, perfectione, ac Mundum terminauit in ijs, in quibus proceditur in infinitum, absque

absque exigentia sistendi in hoc potius, quam in illo: siquidem non produxit in speciebus plura indiuidua, quam dentur de facto, quia indiuidua sunt possibilia plura, & plura in infinitum absque exigentia sistendi in hoc potius numero, quam in illo; non produxit plures, & perfectiores species Angelorum, quia in speciebus Angelorum perfectioribus, & perfectioribus proceditur in infinitum, ac non datur perfectissimus Angelorum possibilium: non dedit beatis, & animæ Christi beatitudinem intensiorem maiorem, quia in beatitudine, ac visione Dei intensiorem maiorem, & maiori, proceditur in infinitum: non creauit mundum prius, quia mundus non potuit esse ab æterno, & potuisset creari prius, & prius in infinitum; ergo Deus produxit mundum formaliter optimum, licet non produxerit materialiter optimum.

12. Probatur secundò: nam cum Deus sit optimus, debet habere perfectam inclinationem ad faciendum vniuersum optimum in eo sensu, in quo potest fieri optimum; sed vniuersum potest fieri optimum formaliter, non autem materialiter, cum materialiter possit esse perfectius, & perfectius in infinitum; ergo Deus habet perfectam inclinationem ad faciendum vniuersum optimum formaliter, non autem materialiter: sed debemus dicere, & existimare Deum semper facere id, ad quod habet perfectam inclinationem; ergo.

13. Confirmatur: nam quia anima Christi est optima in genere bonitatis creatæ, & habet perfectam inclinationem ad optimum, existimamus animam Christi semper fecisse optimum, ac nunquam fecisse minus bonum, omisso meliori; ergo à fortiori debemus idem existimare de Deo, qui est optimus in omni genere.

14. Probatur tertio ex communi consensu Philosophorum, Scholasticorum, & Sanctorum Patrum, qui ex allato fundamento docuerunt Deum, & naturam semper facere quod est optimum; ergo debet existimari tanquam principium per se notum, optimum semper facere id, quod est optimum. Probatur antecedens, afferendo aliqua ex innumeris testimonijs. Ex Philosophis Aristoteles lib. 3. Physic. text. 48. dicit: *In ijs, quæ sunt natura finitum sit potius, & id, quod melius est, oportet, si modo esse possit.* lib. 2. de Cælo text. 34. dicit: *Si enim natura semper facit eorum, quæ fieri possunt, quod optimum est.* lib. de Iuuentute, & Senectute dicit: *Nemini dubium est, quin natura in omnibus, quæ fieri possunt, pulcherrimum quodque fingat, & molietur.* Idem docet innumeris alijs locis. Debet autem aduerti Aristotelem locis allatis nomine naturæ intelligere naturam primam, quæ vocari solet natura naturans, & est ipse Deus. Consonat Aristoteli Plato in Timæo dicens. *Fas autem non erat, nec est quicquam, nisi pulcherrimum facere eum, qui est optimus;* & paulo post: *Ita natura mundum constituit, ut pulcherrimum natura opus, optimumque foret.* Idem do-

cuerunt plures alij Philosophi.

15. Ex Scholasticis S. Thomas 1. parte quæst. 47. art. 3. dicit: *Natura facit, quod melius est, & multo magis Deus.* Eadem quæstione art. 2. ad 1. dicit: *Optimi Agentis est producere totum effectum suum optimum, non tamen quod quamlibet partem totius faciat optimam simpliciter, sed optimam secundum proportionem ad totum.* Idem docet alijs locis, idemque docuerunt Alexander de Ales, Albertus Magnus, S. Bonaventura, & alij, quorum testimonia affert Ruiz disp. 9. sect. 1.

16. Ex Sanctis Patribus Augustinus lib. 1. de libero arbitrio cap. 5. dicit: *Quicquid tibi vera ratione melius occurrit, hoc scias fecisse Deum, tanquam bonorum omnium conditorem.* Et paulo post: *Cum dicis, melius hoc fieret quam illud, si verum dicit, & videt quod dicit in illis, in quibus conuexa est, rationibus videt. Credat ergo Deum fecisse, quod vera ratione ab eo faciendum esse cognouit, etiam si hoc in rebus creatis non videt.* Et lib. 1. contra aduersarium legis, & Prophetarum, cap. 14. dicit: *hanc verè usque aded desipiendum est, ut homo videat melius aliquod fieri debuisse, & hoc Deum vidisse non putet; aut putet vidisse, & credat facere noluisse, aut voluisse quidem, sed minimè potuisse.* Avertat hoc Deus à cordibus nostris. Chrysostomus homil. 30. in 1. ad Corinthios cap. 12. dicit. *Certè enim, quod optimum, rectissimumque factum fuit, hoc illum voluisse, consentaneum esse debet.* Basilii homil. 9. quod Deus non sit auctor malorum, dicit: *Vnum hoc habere in mentibus nostris presumptum oportet, quod nihil eorum, quæ nobis accidunt, malum sit, aut tale, ut melius illo aliquid excogitare queamus.* Damascenus lib. 2. de fide cap. 29. dicit: *Si Dei voluntas Providentia est, omnino necesse est, omnia, quæ Providentia sunt, secundum rectam rationem optima, & Deo receptissima fieri, ut non sit melius fieri.* Idem docent Athanasius, Nazianzenus, Clemens Alexandrinus, Cyrillus Alexandrinus, & alij, quos citat Ruiz disp. 9. sect. 3.

17. Dices: Sancti Patres, dum asserunt, Deum semper facere optimum asserunt id in aliquo ex tribus sensibus explicatis quæst. 50. num. 22; ergo ex testimonijs allatis non probatur Deum facere optimum in ordine ad perfectionem formalem vniuersi, ut explicatum est num. 18.

18. Sed contra, nam si Patres dicerent mundum esse optimum solum in ordine ad tantam Dei manifestationem, & relatè ad honestatem diuinæ operationis, & ex eo, quod sit summè conformis voluntati, qua Deus voluit facere mundum, debuissent asserere mundum, quomodocunque fuisset factus, etiam si fuisset factus instar tugurij, in quo manerent tres, vel quatuor homines Deum imperfectissimè cognoscentes, adhuc futurum optimum, cum esset aptissimus ad manifestandum Deum illa imperfectissima manifestatione, quam Deus intenderet de facto, cum fieret per operationem honestissimam, & esset maximè conformis diuinæ voluntati volenti face-

facere mundum ad modum tugurij; sed est alienissimum à doctrina Sanctorum Patrum, quod Deus fecerit mundum optimum in eo solum sensu, in quo mundus esset optimus, etiamsi factus fuisset ad modum parui tugurij; ergo. Confirmatur: nam ideo dicunt Deum fecisse mundum optimum, quia cum Deus sit optimus, habet perfectam inclinationem ad faciendum mundum optimum; sed Deus quia est optimus, debet habere perfectam inclinationem non solum ad faciendum mundum optimum in ordine ad finem intentum, sed etiam ad intendendum finem optimum; ergo &c.

19. Addo, quod Philosophi, Scholastici, & Patres dum asserunt Deum semper facere optimum, asserunt Deum semper facere optimum in eo sensu, in quo optimum potest fieri; sed potest fieri optimum solum formaliter, non autem materialiter; ergo &c. Probatur maior: nam Aristoteles textu citato 48. nimirum 8. Physicorum dicit: *In ijs, quæ sunt natura, finitum sit potius, & id quod melius est oportet, si modo esse possit*; ergo expressè dicit naturam, & Deum facere optimum, in quantum fieri potest. Sanctus etiam Thomas 1. parte quæst. 47. art. 2 ad 1. dicit: *Deus fecit totum uniuersum optimum secundum modum creaturæ*; sed modus creaturæ est, ut sit optima solum formaliter, non autem materialiter; ergo &c. In eodem sensu loquuntur alij Auctores citati.

20. Dices: Deus utpote optimus non inclinatur ad faciendum minus bonum etiam materialiter, omisso maiori bono.

21. Respondeo, distingo: non inclinatur ad faciendum minus bonum materialiter, in quantum est minus bonum, concedo: in quantum non potest fieri optimum formaliter, absque eo quod fiat aliquid materialiter minus bonum, nego. Deus inclinatur ad faciendum optimum formaliter; & quia non potest facere optimum formaliter, nisi faciat aliquid materialiter minus bonum, ideo inclinatur ad faciendum materialiter minus bonum, ut faciat formaliter optimum.

22. Addo posse dici, quod ita mundus est formaliter optimus, ut licet possit dari alius mundus materialiter melior, tamen eo ipso talis mundus esset formaliter minus bonus quam sit mundus existens de facto. Explicatur. Perfectio enim formalis vltima mundi consistit in hoc, ut omnes eius partes ordinentur optima proportionem; sed potest dici, quod partes alterius mundi eo ipso, quod essent meliores, non possent ordinari proportionem adeo bona, sicut ordinantur partes huius mundi; ergo &c. Minor probatur, & explicatur. Nam sæpè numerus minor potest ordinari proportionem meliori, quam numerus maior: ex. gr. licet numerus nouenarius sit minor denario, & vndenario, tamen numerus nouenarius potest ordinari, ita ut faciat quadratum, quod habet optimam proportio-

nem; numerus autem denarius, & vndenarius non possunt ordinari ita, ut faciant quadratum. Similiter quantitas, seu magnitudo conueniens homini potest ordinari proportionem adaptata corpori humano, quæ proportio est melior: quantitas autem conueniens Elephantis est maior, & tamen non potest ordinari proportionem corporis humani; sed solum proportionem corporis Elephantis, quæ est minus bona. Potest igitur dici dari aliquem numerum ordinabilem proportionem omnium pulcherrima, ac proinde formaliter omnium perfectissima. Potest etiam dici dari aliquas magnitudines finitas, & aliquas perfectiones finitas ordinabiles proportionem omnium pulcherrima, & perfectissima, ac mundum à Deo, cui Sapientiæ 11. dicitur, *Vniuersa in pondere, mensura, & numero disposuisti*, ordinatum fuisse in numero, pondere, & mensura proportionem omnium pulcherrima, ita ut quilibet alius mundus constans ex creaturis numero pluribus, quantitate maioribus, ac perfectioribus, eo ipso non esset ordinabilis proportionem adeo pulchra, ac proinde ita esset materialiter perfectior, ut formaliter esset imperfectior hoc mundo, qui datur de facto. Ex hac doctrina potest probabiliter inferri Deum semper facere id, quod simpliciter est magis conueniens. Simpliciter enim fuit magis conueniens, ut Deus faceret mundum perfectiorem formaliter, & materialiter minus perfectum, quam ut faceret mundum perfectiorem materialiter, formaliter autem minus perfectum; sed licet sit possibilis mundus materialiter perfectior, tamen formaliter esset minus perfectus, cum constitueretur ordine minus perfecto; ergo. Insinuat autem hanc doctrinam Sanctus Thomas 1. parte quæst. 25. art. 6. ad 3. dicens. *Dicendum, quod uniuersum, suppositis istis rebus, non potest esse melius propter decentissimum ordinem his rebus attributum à Deo, in quo bonum uniuersi consistit, quorum si aliquid esset melius, corrumpetur proportio ordinis, sicut si una chorda plus debito intenderetur, corrumpetur proportio citharæ. Posset autem Deus alias res facere, vel alias addere istis rebus factis, & sic esset uniuersum melius.* Sed sufficit hæc indicasse. Nihil enim statuo, ac solum dico Deum in ijs, in quibus non proceditur in infinitum, semper facere id, quod est melius, & conuenientius ad perfectionem uniuersi.

23. Ad 1. 2. & 3. Respondeo impossibile esse infinitum actu, & ut mundus fuerit ab æterno, ut dixi in Philosophia; ergo cum in speciebus rerum procedatur in infinitum, mundus ex eo, quod darentur plures species Angelorum, & rerum, esset, solum materialiter, non autem formaliter perfectior, ac proinde ex eo, quod Deus non produxerit plures species Angelorum, & aliarum rerum, non sequitur, quod Deus non fecit mundum formaliter optimum. Ruiz de voluntate Dei disput. 9. sect. 8. respondet, quod etiamsi possibile esset

esset infinitum in actu, nihilominus ad perfectionem mundi spectat potius, ut dentur finitæ species, & finita individua, quam infinita, idque posset confirmari ex Aristotelis verbis 8. physic. textu 48. supra citatis: *In ijs, quæ sunt natura, finitum sit potius, & id, quod melius est oportet, si modo esse possit.*

24. Ad 4. nego antecedens. Mundus cum sit vnus numero, debet habere vnum tantum caput intrinsecum, alioquin esset monstruosus; sed natura intellectualis eo ipso, quod assumatur à Persona diuina, respectu mundi habet rationem capitis; ergo vna tantum natura intellectualis debet assumi. Rursus est magis conforme naturæ creatæ, ut terminetur vna tantum personalitate, quam pluribus; ergo conuenientius fuit ad perfectionem vniuersi, ut natura humana assumeretur ab vna tantum Persona, quam à pluribus, præsertim cum natura assumpta ab vna tantum Persona per circumfessionem habeat in se perfectionem omnium personalitatum, ut dicitur inferius in tractatu septimo de Trinitate. In tractatu etiam de Incarnatione ex communi doctrina Theologorum, & Patrum dicitur ad perfectionem vniuersi fuisse conuenientius, ut assumeretur natura humana, quam Angelica, quia cum natura humana consistat ex natura intellectuali, & corporea, assumpta quodammodo fuit vtræque natura, ac proinde Deus extensiuè se magis communicauit. Dicitur etiam fuisse specialiter conueniens, ut natura humana assumeretur à Filio, quam à Patre, vel Spiritu Sancto; ut Incarnatio fieret in medio temporis, quam in principio, vel fine mundi. Ex his verò confirmatur nostra sententia. Cum enim Patres adeo solliciti fuerint in explicando, quo pacto fuerit melius, & conuenientius, ut Incarnatio fieret eo pacto, quo facta est, supposuerunt Deum semper facere id, quod est melius, & conuenientius ad perfectionem vniuersi.

23. Ad 5. & 6. Quia solutio argumenti pendet à solutione quæstionis, in qua quæritur, utrum vniuersum esset perfectius, vel imperfectius, si Deus nulla, vel pauciora, & minora peccata permisisset, & si omnes Angelos, & homines prædestinasset, vel saltem plures prædestinasset, quam reprobasset, quæ quæstio est grauissima, & difficillima, libet illam ex professo examinare quæstione sequenti.

QVÆSTIO LII.

Utrum Mundus esset formaliter perfectior, vel imperfectior, si Deus nulla, vel pauciora peccata permisisset, & si omnes Angelos & homines prædestinasset, vel saltem plures prædestinasset, quam reprobasset?

1. **V**idetur, quod mundus esset perfectior, si nemo damnaretur, nemo peccaret,

primo quia ex Aristotele 3. Top. cap. 4. *Albius est, quod est nigro impermixtus; ergo melius est, quod est malo impermixtus; ergo si Deus fecisset mundum, in quo nulla fierent peccata, talis mundus fuisset melior hoc mundo, ac proinde hic mundus non est formaliter optimus.*

2. Secundò homo innocens, cæteris paribus, est melior poenitente, & magis à Deo diligitur; ergo mundus innocens, cæteris paribus, est melior poenitente; sed si nulla essent peccata, mundus esset innocens; ergo &c.

3. Tertiò ex dicendis in Tractatu de Incarnatione, peccatum mortale in genere mali est maius, quam in genere boni sit bonus quilibet actus honestus puræ creaturæ; ergo malum peccati non potest adequatè compensari vilo actu honesto elicitò à pura creatura; sed si malum peccati non potest compensari vilo actu honesto elicitò à pura creatura, perfectior est mundus sine vllis peccatis, quam cum peccatis; ergo.

4. Quartò si dicatur, quod bonum Incarnationis, & actuum honestorum Christi est maius malo peccati, quod bonum non extitisset, nisi fuissent peccata: contra est, quia saltem si nulla fuissent peccata, & nihilominus fuisset Incarnatio, mundus fuisset perfectior, quam sit de facto; ergo.

5. Quintò perfectio mundi, quam Deus primo, & per se, & voluntate antecedenti intendit, est maior perfectione, quam intendit solum secundario, & ex suppositione, quod à creatura peccante impediatur illa alia perfectio: sed Deus primo, & per se, ac voluntate antecedenti vult mundo perfectionem innocentiam, & salutis: nam vult neminem peccare, & damnari, & ut dicitur 1. ad Timoth. 2. *Vult omnes homines saluos fieri*, alia verò bona, compensatiua peccatorum vult mundo solum secundario, & ex suppositione, quod homines liberè peccando impediunt bonum innocentiam; ergo &c.

6. Sextò Hierotheus, & ex eo Dionysius cap. 6. de diuinis nominibus infert tanquam inconueniens, quod erit malum ad omne, hoc est ad perfectionem vniuersi conferens: sed si mundus esset minus perfectus, si non darentur peccata, malum peccati conferret ad perfectionem vniuersi; ergo.

7. Septimò S. Thomas 1. sentent. dist. 46. art. 1. ad 3. dicit: *Quædam mala sunt, quæ si non essent, vniuersum perfectius esset, illa scilicet, quibus maiores perfectiones priuantur, quam in alio acquirantur, sicut præcipue est in malis culpe, & concludit; unde si nullus homo peccasset, vniuersum genus humanum melius foret; ergo S. Thomas existimat vniuersum futurum perfectius, si Deus non permisisset vllum peccatum.*

8. Octauò demum viderur, quod mundus fuisset perfectior, si Deus pauciora peccata permisisset, & plures prædestinasset, quam reprobasset; ergo Deus permittendo tot peccata, & reprobens plures homines, quam prædestinet,

Y

facit